

Alme et Rmo Dno

1

Non prius literis Dno Vro Alme et Rmo 8. Januarii
mihi datis respondi, quia cum recenter facultatem
a Summo Pontifice receperim absolendi a juramento
D. Powstanski ab ipsa Dno Vra mihi commendatum
obsequi uno tempore volui suo desiderio. Sator quod pos-
tremo quoque quas Ei misi facultates ad suas manus
peruenerint, et ad ea que pro utilitate Ordinum Reli-
gioforum opportuna esse mihi scribit, significare Dno
Vro Alme et Rmo singillatim mihi oportet quod tam
pro unione Carmelitarum Antiquo observantia et
Discalceatorum sub regimine unius Provincialis,
quam pro secularizatione Instituti Canonico-Regu-
larium Beatorum Martyrum de Penitentia, sicuti
agitur de variatione in substantialibus meas exce-
dit facultates, et sine provia Sancte Sedis auctori-
tate nullum capere in hoc possum consilium et ad
nullam devenire executionem. Ut autem preces
ad Summum Pontificem una cum mea informatione
hac de re porrigantur necesse est quod super utrumque
negotium distinctam ad me prius mittat relationem

Item de numero Monasteriorum et Religiosorum
Carmelitarum sub uno Provinciali uniendo, quam
etiam de preciso numero Religiosorum Canoniorum
Regularium adhuc existentium de statu et fundatio-
ne cujuslibet ipsorum Domus et Ecclesie, nec non
de aliis circumstantiis, omnibus ac rationibus ob
quas nihil religiosum habere eos modo scribit prater
nomen. Animadvertendum tamen et pertinens est
Dum in hoc casu est ne exemplum ejusmodi Secula-
rizationis detrimenti futurum sit pro aliis etiam
Ordinibus Religiosis. Vivimus enim in tempore quo
conatus omnes nostros intendere debemus ut Ecce-
siastica Instituta et presertim Regularia sustine-
amus. Ejusmodi zelum in Dne Vra deprehendo ex
suis citatis literis cui ut fiat satis hic adjungo
quod cum agitur de restauranda regulari Discipli-
na et observantia prater meum Instrumentum vi-
gore cujus omnem habet providendi facultatem
etiam in interno veluti Diocesanus quoque Episco-
pus dum sacrorum Canonum custodiam habet in id po-

tissimum incumbere debet ut quotquot Deo Devincti
 atque Ecclesie obsequis sunt specialiter mancipati
 Canonum Statuta religiose custodiant; Hinc ad eam
 invigilare quolibet modo pertinet ut Regulares
 tam intra claustra quam extra ad Regulam quam
 professi sunt suam vivendi rationem componant,
 et Superiores atque Propositi omnium Monas-
 teriorum et Ordinum curam et diligentiam
 adhibeant tam in Capitulis quam in Visitatio-
 nibus ut ipsorum Inferiores ac Subditi ex
 prescripto suo Professionis vitam instituant,
 et paupertatis, Castitatis, obedientie, ac si qua
 sunt alia cujusvis Monasterii peculiaria vota
 et precepta fideliter et inviolate observent.

Grates refero Dni Vro Illmo et Rmo de
 inventarii confectione istius collegii Pontificii
 cujus negotia committam Illmo Episcopo
 Bulhak cum facultatibus necessariis et oppor.

tunis; et ipse tunc ejus rei consulat et providebit
pro extinctione contracti oris alieni.

Sum denique cum ea qua par est observan-
tia atque existimatione.

Dnis Vro Amoe et Dime

Petropoli }
25. Februarii
8. Martii 1799

Abdulpinus servus
Parentini & Archiepiscopus Thebanus